

37.

Nobilissimo amplissimoque viro D^{no} N. Jacquinio
s. pl. d. Car. von Linné.

Die 26. Julii datas hodie accepi.

Nihil amplius magis gratum erit videre quam Tuam
Loasam in Horto meo florentem. utinam semina recentia
obtineres et dares.

Senecio nemorensis omnino erat planta inclusa.

Nepeta italica vero altera, quamvis in Horto nostro
paulo longioribus gaudeat floribus, sed hoc a loco. Spica
superne subviolacea saepe evadit. *Nep.* scordotidem etiam
habeo, sed illa omnino non est.

Cistum aegyptiacum semel vidi 1739 in Horto parisino,
nec postea. Semina erint omnium acceptissima.

Hac aestate in Horto meo praedii summa cum voluptate
vidi singularem Tuam *Scopoliam* florentem; semina dare
recusabat, sed forte proxime dabit. an loca umbrosa ex-
optet.

Egregie in Horto academico floruerunt Tua *Sphondylia*
s. *Heraclea*, omnia simul.

Semina *Papaveris orientalis* includo, si prius non
habeas.

Quaeso quando prodibit *Scopuli mineralogia*? quis libri
titulus, ut eum accerream? necessarius mihi liber est, an-
tequam edam tertium tomum systematis, qui de Lapidibus
agat.

Stupendum motum vidi in Musci specie, reciprocum,
quasi systolen et diastolen, dum semina effundat, quod con-
tinuat per plures dies. Observationem ad Acad. Reg. pari-
siensem misi.

Nil ab aliquo tempore audivi de Aublieti opere de plan-
tis Americae australis, quae jam inciduntur, et in quibus
multa nova genera detexit.

Laetor quod Kuhnus Pensylvanus, meus egregius di-